



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Alia Divisio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

ACTUAL est omnis actio pugnans cum lege, tum in mente, ut dubitationes de Deo: tum in voluntate & corde, ut incendia malorum affectuum: tum in membris externis, ut externæ actiones, pugnantes cum lege Dei.

ALIA DIVISIO.

PECCATUM aliud est regnans, seu mortale. Aliud est non regnans, quod vicitate nominatur Veniale.

REGNANTIA peccata seu mortalia, dicuntur omnia peccata in non renatis, originale & actualia, interiora & exteriora, quæ ideo dicuntur mortalia, quia non renatus propter illa omnia reus est iræ Dei, & pœnæ æternæ, id est, ordinatus ad pœnam æternam, sicut Ioannis 3. dicitur. **Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.** Rursus peccatum regnans seu mortale est, cum is, qui fuerit renatus, assentitur errori in fundamento, aut labitur contra conscientiam. Tunc enim amittit gratiam, Spiritum sanctum & fidem, sicut Adam & Eva, Aaron assentiens facientibus idolum, Dauid rapinam alterius coniugem, contristant & excutiunt Spiritum sanctum, propter talia delicta, & rursus fiunt rei æternæ pœnæ. Possent enim sic labi renatos, perspicuum est ex capite Matthæi 12. & 2. Petri. Aliqui vero redeunt ad pœnitentiam, & salvi fiunt. Multi non redeunt ad pœnitentiam, & pereunt, ut postea dicemus.

PECCATUM non regnans, quod nominatur Veniale, id est, propter quod non remittuntur gratia, Spiritus sanctus & fides, est in renatis in hac vita malum originis, & dubitationes, & incendia malorum affectuum, quibus tamen repugnant renati, ne ruant contra conscientiam, & dolent propter has sordes, & credunt se propter mediatorum Deo placere, tegi has sordes, & gratiam exuberare supra peccatum.

VNDĒ SVMTA EST HÆC DISTINCTIO?

RESPONDEO. Certum est hanc esse perpetuam doctrinam veræ Ecclesiæ, & illustria testimonia in scriptis Prophetis & Apostolicis extant. Roma. 8. expresse ponitur hæc distinctio: Si secundum carnem uiueris, moriemini: si autem actiones carnis Spiritu uiuificaberis, uiueris. Item 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Item Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. 1. Cor. 6. Ne erretis, adulteri, homicidæ, idololatæ, regnum Dei non possidebunt. Item 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est.

DE LIBERO ARBITRIO.

QVOMODO DOCENDI SVNT HOMINES de libertate uoluntatis humanæ?

RESPONDEO. Cum fit mentio Liberi arbitrij, non nulli